



# **Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica**

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

**Tanner, Adam**

**Ingolstadii, 1626**

III. An intellectus creatus videre Deum possit naturalibus viribus; an potius indigeat ad hoc supernaturali aliquo lumine & babitu, etiam secundum absolutam Dei potentiam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

cognitionem, inquit, non potest non esse abstractiva) sæpe imaginamur ipsa re ut existere & prætere, etiam si forte re ipsa præsens non sit: addendum est, non tantum non posse dari cognitionem Dei quidditatiuam, quæ ab existentiâ Dei penitus abstrahat, eamque plane non cognoscat; sed etiam nec posse villo vero sensu esse abstractiuam, si verè sit quidditatiua, & per propriam speciem Deifiat; quia quomodocumque definiatur abstractiua notitia, prout ab intuitiua distinguitur, ea ita saltem abstrahere debet ab existentiâ rei, ut non feratur immediatè (sine medio cognito) & formaliter ac perspicuè in ipsam rem vere ac præsentialiter existentem, ut existentem, clarè scilicet, ac immediatè per propriam rei existentis ut existentis speciem, aut modo æquivalente, cognoscendo eius præsentialem existentiam; quæcumque enim talis cognitio, intuitiua, non abstractiua est, ut ex communi vocabuli notatione à visu desumpta patet: sed si datur species propria Dei, essentiam eius adeo; Deum ipsum clarè & quidditatiuè representans, impossibile est, quin per eam, immediatè (sine medio cognito) clarè, & distinctè cognoscatur Deus & præsentialiter existens: quandoquidem & existentiâ eius, & immensitas ac omnipræsentia (ex hypothesi) est de ratione diuinæ Essentiæ: Ergo impossibile est, ut talis species quidditatiuè, & non intuitiue Deum representent. Vnde colligitur etiam, falsum esse, quod docuit Scotus in 2. d. 3. q. 9. & ferè Gabriel ibidem q. 2. Angelos naturaliter per speciem inditam, cognitione abstractiua, Deum quidditatiuè, prout in se est, cognoscere; de quo plura infra de Angelis.

18 Quod verò Aureolus ibidem contra Scotum & Heruzum docet, dari posse intuitiuam rei cognitionem, etiam re non amplius existente; & ad propositum non facit, & propriè loquendo verum non videtur. Neque tamen interim nego, posse de Deo etiam secundum esse ac veritates supernaturales, v.g. quod sit Trinus & unus, Deus & homo, &c. haberi cognitionem eidentem abstractiuam, euidentia reuelationis nixam, quæ dici solet euidentia in reuelante: hæc enim non habetur per propriam speciem, sed similibus est ei, qualis etiam de naturalibus perfectionibus Dei, per alienas rerum creaturarum species habetur, ab eo, qui demonstrationem de ipsidem habet.

Vti nec etiã scientia infusa ipsius Dei, etsi per infusas species habeatur, est per propriam Dei speciem, sed per species alienas creaturarum, ut suo loco docetur. Quod si tali solum modo aliquo putauit Aureolus, in viatore esse posse claram Dei notitiam abstractiuam, in re non errauit; sed non rectè tamen eam cognitionem vocauit quidditatiuam, cum ijs cognitionibus nullus proprius & adequatus conceptus essentiæ Dei habeatur, sed Deus per alienas solum rerum creaturarum species cognoscatur, ut dictum.

Obijci potest. S. Paulus ex probabili sententia, etiam in hac vita, quasi in raptu, vidit diuinam Essentiam; eiusque visionis etiam postea retinuit memoriã euidentem: Ergo signum est, retinuisse speciem, qua etiam antea Deum viderat. Respondeo cum S. Thoma 1. p. q. 12. a. 9. ad 2. in simili, negando consequentiam. Solum enim sequitur, Paulum ex ipsa visione Essentiæ diuinæ formasse in se similitudinem quandam tui ipsius visionis Dei, saltem secundum rationem quãdam communem; tui eorum, quæ in Deo per eam

visionem vidit; quæ species etiam remansit post eiusmodi raptum; sic tamè, ut Deum quidditatiuè per eam nullo modo amplius cognosceret, sed solum abstractiue.

### DVBIVM III.

*Vtrum intellectus creatus videre Deum possit naturalibus viribus; an vero indigeat ad hoc supernaturali habitu luminis gloriæ; idque etiam secundum absolutam Dei potentiam?*

S. Thom. 1. p. q. 12. a. 4. & 5.

19 Vnt hac in re varij partim hæreticorum etiores; partim Catholicorum sententiæ. Primo enim fuerunt quidam hæretici, qui docuerunt, hominem suis naturalibus viribus posse videre Deum. Ita enim refertur de Beguardis, & Beguinis in Clementina *Ad nostrum*, de hereticis, dixisse eos inter alia, quod quilibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata; quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum videndum. Huc spectant etiam Anomæi veteres hæretici, qui dycæ Eunomio docuerunt, Deum ab intellectu nostro virtute propria in hac vita comprehendere posse, ut videre est apud Nazianzenum orat. 42. & apud Chrysostrum homil. 5. de incomprehensibili Dei natura, Basilii lib. 1. cont. Eunom. Theodoret lib. 4. hæret. fab. Hieronymum in illud Matth. 11. *Nemo nouit filium*, & apud Theophylactum in illud Ephes. 3. *in gentibus Euangelizate*.

Secundo ex Scholasticis quidam, saltem sub conditione & hypothesi, in quâ tamen ipsi etiam magis inclinabatur, luminis gloriæ necessitatè negarunt; si nimirum dicatur visio produci à solo Deo. Ita Scotus in 3. d. 14. q. 2. & disp. 3. 1. q. 1. & in 4. d. 49. q. 11. idèque in simili de amore & fruitione Dei docuit in 3. dist. 12. q. 4.

Tertio alij nonnulli, tamen si plane faterentur, aliquod gratuitum Dei auxilium ad Deum videndum requiri, dixerunt tamen, sufficere extrinsecum, & quasi negatiuum; remouere scilicet impedimenta intelligendi: posse enim naturaliter Deum ab homine videri, si modo & Deus vellet extrinsecè se eidem representare; & impedimentum constitutum in modo cognoscendi Deum, per sensus exteriores, seu per creatum medium, remouere. Ita Durandus in 4. d. 49. q. 2. n. 24.

Quarto vero circa explicationem & naturam luminis gloriæ, etiam ex illis, qui eius necessitatè aliqui profitebantur, ita quidem variarunt, ut re ipsa parum ab ijs, qui eius necessitatè denegarunt, aut diminuerunt, recederent.

20 Quinto denique etiam illi, qui necessitatè veri luminis gloriæ agnoscerent; non tamen consentiunt, an de absoluta quoque Dei potentia sit necessarium ad visionem, ut magis ex sequentibus assertionibus patefcet.

Assertio I. Impossibile est, ut per vires nature Deo ab intellectu creato, seu humano, seu Angelico, intuitiue & quidditatiue videatur. Ita S. Thomas hic q. 12. a. 4. & in 4. d. 49. q. 2. a. 6. & de verit. q. 8. a. 3. & 3. cont. gent. c. 50. cui quo hac in re consentiunt omnes Scholastici; quidquid de Angelis dubitauerit Maior in 4. d. 49. q. 4. Estque de fide, saltè quoad intellectum humanum, contra Anomæos & Beguardos superius citat, ex Concilio

Viennensis cit. Clem. *Ad nostrum* de hereticis. Probatum aperte ex Scriptura. Plal. 83. v. 12. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, Matth. 11. v. 27. *Nemo novit filium, nisi pater, neque Patrem qui novit, nisi filius; & cui voluerit filius revelare.* Ioan. 14. 21. *Qui diligit me, diligitur a patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Rom. 6. v. 23. *Gratia autem Dei vita eterna.* 1. Cor. 2. v. 9. *Oculus non vidit, neq. auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quae preparavit Deus illis, qui diligunt illum.* Et ibidem versu 11. *Quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Quae testimonia partim suamet vniuersalitate, partim communi Doctorum explicatione, & ob ipsam quoque paritatem rationis, etiam ad Angelos pertinere iure censentur. Idem habet vniuersim consensus SS. Patrum, qui illum Anomatorum errorem damnant, vsu perius relatum.

3 Accedit optima ratio S. Thomae hic eodem a. 4. Quando enim obiectum secundum modum suum essendi, excedit modum essendi subiecti ac potentiae cognoscantis: tum haec non potest illud per vim suam naturalem perfecte & quidditatiue cognoscere: atqui modus essendi Dei infinite excedit modum essendi omnis creaturae ac potentiae creatae: Deus enim est actus purus, & ipsum suum Esse: omnis autem creatura, & omnis creata potentia, aut habet esse in materia, saltem mediate (mediate anima) aut certe est in potentia ad non esse: Ergo Deus non potest perfecte & quidditatiue naturali virtute intellectus creati cognosci, ac proinde nec videri. Maior probatur. Quia cognitio naturalis adaequate sequitur naturam cognoscantis; seu quod idem est: naturalis modus cognoscendi vel agendi, in virtute, seu causa principali, sequitur modum essendi, eidemque proportionem quadam respondet. Quod principium contra Scotum, & alios susceperunt Caietanus hic, q. 12. a. 4. Capreolus in 4. d. 49. q. 4. Ferraricus lib. 3. cont. gent. cap. 53. Scotus in 4. d. 49. q. 2. a. 2. & prolixo Albertinus tom. 1. princip. 1. qui hoc ipsum extendit ad omne genus operationis, tum moralis, tum physicae; tam transeuntis, quam immanentis: in specie vero id ipsum principium applicat ad propositam materiam coroll. 1. punct. 2.

Et confirmatur. Quia nec per fidem quidem cognoscere Deum possumus sine auxilio gratiae, vt in Concilio definitur, & alibi ex instituto probatur; quanto minus per claram visionem? Denique cum obiectum visionis tam materiale, quam formale, quod plane supernaturale sit, consequens est, ipsam quoque visionem esse actum intrinsece supernaturalem; etiam quoad substantiam, vt ex communi recte docent Caietanus in 2. 2. q. 171. a. 2. Scotus in 4. d. 49. q. 2. a. 4. Suarez lib. 2. de Deo cap. 9. num. 7. & significat S. Thomas 1. 2. q. 5. a. 5. ad 3. Ergo impossibile est haberi viribus naturae.

Obijcitur. Aut Deus clarè visus, seu visibilis, continetur sub obiecto naturali intellectus; aut non: si continetur, ergo poterit naturaliter videri: si non; ergo nullo modo videri potest: quia naturalis potentia non potest ferri extra latitudinem sui obiecti naturalis. Respondetur, naturale obiectum intellectus creati dupliciter dici posse: primo quod solis naturae viribus attingi potest, etiam actu perfecto: & tunc Deus vt visibilis, seu etiam vt Ens est superna-

turale, non est obiectum naturale intellectus creati, nec sub eo continetur. Secundò naturale dici potest, quod etsi sub obiecto adaequato intellectus (quod est Ens vt Ens) aliquo modo comprehendatur, adeoque tale sit, vt intellectus natura in illud ferri possit, seu proprijs viribus, seu adiutus altiori lumine; non potest tamen vt sic actu perfecto & proportionato, ob excellentiam suam attingi, ex solis naturae viribus: & hoc sensu conceditur, esse naturale obiectum intellectus, vel sub eo comprehendendi; sed nullum sequitur absurdum.

4 Assertio II. Impossibile est, vllam dari seu produci naturam intellectualem creatam, cui secundum se connaturalis sit ea visio Dei beatifica, seu ipsum etiam lumen gloriae. Ita post S. Thomam hic q. 12. a. 4. & a. 5. ad 3. Scotum in 2. d. 5. q. 9. Scotum cit. q. 2. a. 4. & ferè Durandum ibidem, ex communi docent Suarez lib. 2. de Deo c. 9. Vasquez d. 44. n. 3. Albertinus tom. 1. princip. 1. coroll. 2. & 3. Gregorius de Valentia, non nihil tamen dubius, hic q. 12. p. 3. licet in contrariam sententiam inclinet Maior loco cit. Molina hic q. 12. a. 4. & art. 5. disp. 2. Ratio est. Primò; quia accidens supernaturale non ob aliam causam dicitur, quam quia perfectius subiectum creatum supra id, quod ipsum, aliaque creata subiecta omnia, ex suis principijs & constitutione naturali possulant; ac proinde supernaturalitas eius desumitur ab excessu & imperfectione essentiali ad subiectum omne possibile; cuius respectu supernaturale dicitur: Ergo si alicui substantiae naturale esset, eo ipso non esset intrinsece supernaturale, vt tamen esse diximus lumen gloriae. Antecedens probatur: quia accidens intrinsecum & essentialem habet respectum ad subiectum; ergo etiam supernaturalitas eius debet sumi per ordinem excessus ad subiectum; & non solum per excessum ad vnum aliquod, vel aliqua subiecta; alioqui multae proprietates naturales essent supernaturales qualitates: Ergo per excessum ad omnia subiecta creata.

5 Secundò; qualitas seu accidens intrinsece supernaturale non potest esse connaturale nisi substantiae: itidem supernaturali: subiectum enim, & accidentia eius naturalia, sunt eiusdem ordinis: atqui impossibile est, etiam secundum absolutam Dei potentiam, vt detur substantia creata intrinsece supernaturalis: Ergo etiam impossibile est, vt lumen gloriae, aut visio beatifica sit connaturalis vlli substantiae creatae. Minor probatur. Quia supernaturalitas substantiae non potest desumi ex comparatione ad aliquod subiectum, vt patet; nec ex eo, quod à nullo principio creato fieri potest naturaliter; alias enim omnes Angeli & animae, imò etiam ipsa materia prima essent supernaturales substantiae: nec ex eo, quod ceteras creatas substantias quantumuis multas superet, vt etiam clarum est: alioqui Angelus, saltem supremus, esset supernaturalis substantia: Ergo aliunde non potest desumi, nisi ex eo, quod sit actus purus; talis autem substantia praeter Deum nulla est, nec ullo modo esse potest, vt patet.

Tertio. Contradictione implicat, vt modus essendi Dei ipsi, velut obiecti visionis, non infinite excedat modum essendi cuiuslibet creaturae ac potentiae. Ergo impossibile est, vt haec connaturaliter attingat perfecto

actus

actu, qualis est visio, Deum: iuxta rationem S. Thomæ, pro præcedenti assertionem allatam. Denique alias conueniens esset, dari posse substantiam intellectualem creatam, natura sua sanctam, adeoque filiam Dei, beatam, & impeccabilem: cum visio beatifica non sinat hominem villo modo peccare, &c. id vero est absurdum & contra SS. Patres, ut alibi suis locis docetur, Ergo, &c.

6 Ex quibus etiam efficitur primò, non tantum impossibile esse, ut alicui substantiæ creatæ visio beatifica sit connaturalis, tanquam causæ principali; sed etiam ut instrumento. Quia ut rectè notauit Albertinus supra coroll. 2. num. 7. si tali substantiæ esset connaturalis visio, tum esset quoque illi connaturale lumen gloriæ; quia lumen proportionatur actui, tanquam connaturale eius principium; hoc ipso vero talis substantia iam esset principale agens, & non tantum instrumentale.

Colligitur secundo, non posse etiam creari substantiam, cui sit connaturalis scientia seu cognitio infusa, intuitiua mysteriorum gratiæ: quia hæc obiecta sunt eiusdem ordinis supernaturalis cum ipso Deo, ut rectè deducit Albertinus cit. coroll. 2. num. 8. apud quem plura. Eademque est ratio fidei, & aliorum actuum, siue habituum supernaturalium.

Dixi vero in assertionem; *natura intellectuali secundum se non posse connaturalem esse visionem*; secus enim est, si loquamur de intellectu instructo dono supernaturali luminis gloriæ: hæc enim re ipsa connaturalem esse visionem, non est negandum, ut bene docet Ferrariensis lib. 3. cont. gent. c. 54. Caietanus hic q. 12. a. 5. ad 2. Molina a. 4. Vasquez d. 4. 5. c. 1. Albertinus tom. 1. princip. 1. coroll. 1. num. 1. 1. & denique Suarez lib. 2. c. 7. num. 4. etsi neget Scotus in 4. d. 49. q. 2. a. 4. de quo quidem sola videtur nominis quæstio. Etipsemet Vasquez num. 6. rectè notat, visionem solum, dici connaturalem intellectui prædito lumine gloriæ, ut principio ipsam elicenti, non ut subiecto, in quo recipitur: hoc enim esse intellectum secundum se nudè spectatum. Vnde quæstio illa, an visio beatifica possit alicui naturæ creatæ esse connaturalis, eadem ferè est, cum illa, an lumen gloriæ possit esse connaturale alicui substantiæ creatibili; quod pèndet ex alla quæstione, an creabilis sit aliqua substantia supernaturalis, ut antea deduximus. Quæ causa etiam fuit, cur cum visione iungeremus lumen gloriæ.

7 Assertio III. Ad visionem Dei re ipsa non sufficit lumen naturale intellectus; neque sufficit quodcumque Dei auxilium extrinsecum, aut negatiuum; sed planè requiritur supernaturale lumen gloriæ. Ita S. Thomas hic q. 12. a. 5. & in 4. d. 49. q. 2. a. 7. & 3. cont. gent. cap. 51. 52. & 55. & de verit. q. 3. a. 3. & omnes Scholastici ibidem suis locis, contra Durandum, & Scotum superius citatos; qui non rectè hac de re sunt locuti: & est de fide sub his generalibus terminis, ut rectè Capreolus in 4. d. 49. q. 4. a. 3. Ferrariensis lib. 4. cont. gent. cap. 54. Argentina in 4. d. 49. q. 2. a. 1. Gabriel q. 2. a. 3. Marfilus in 3. q. 10. art. 2. Sorus in 4. d. 49. q. 2. a. 4. Caietanus hic q. 12. art. 5. Gregorius de Valentia q. 12. punct. 3. Probatum ex Scriptura, quæ sæpius mentionem facit luminis, velut specialis doni Dei, quo Deus nunc à beatis re ipsa videatur. Plal. 3. v. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus*

*tua, & torrente voluptatis tuae potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ; & in lumine tuo videbimus lumen.* Isai. 66. v. 19. *Erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* 1. Ioan. 3. v. 2. *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus*; scilicet in participatione luminis, ut explicat S. Thomas hic q. 12. a. 2. & 5. Apocal. 21. v. 23. *Claritas Dei illuminauit eam.* Ex quibus etiam Scripturis desumpserunt Patres, & Scholastici eam denominationem *luminis gloriæ*, ad visionem Dei requisiti. Idem apertè definitur in Concil. Viennensi cit. Clement. *Ad nostrum*, ubi contra Beguardos damnatur hic error, quod anima non indigeat *lumine gloriæ, ipsam eleuante ad Deum videndum.* Ratio patebit ex assertionem 4. & dub. seq.

Atque ob eam causam non immerito Gregorius de Valentia cit. p. 3. Vasquez d. 41. num. 8. & d. 42. cap. 1. Albertinus tom. 1. princip. 1. coroll. 1. punct. 2. erroris notà dignam censent sententiã Durandi superius relatam: licet eam utcumque excusare & interpretari conetur Molina hic q. 12. a. 5. disp. 1. Caietanus quoque hic cit. a. 5. sententiã Scoti superius relatam, qui sub conditione negauit habitum luminis gloriæ, putat esse damnatam. Quamquam an lumen gloriæ verè sit habitus, minus certum est, ut mox dicemus.

8 Assertio IV. Lumen illud gloriæ ad visionem Dei requisitum, nec est 1. Deus ipse, seu increatum eius lumen: nec 2. ipsa visio beatifica: nec 3. concursus Dei actualis: nec 4. supernaturalis quædam animæ potentia, & quasi intellectus supernaturalis, animæ immediatè infusus & inhærens: nec 5. species intelligibilis Dei: sed qualitas creata, habitualis, intellectui beati inhærens; & eum quocumque demum modo perficiens, ad habendam visionem. Ita quasi expresse, quoad omnes partes docet S. Thomas hic quæst. 12. art. 2. & 5. & alijs locis præced. assert. citatis; & est sententiã communis, & quasi certa, ut patebit.

Etenim prima pars est contra quosdam, qui prædictam Concilij Viennensis definitionem interpretantur de lumine increato: sed quæ interpretatio, tanquam falsa, meritò ab omnibus rejicitur, teste Suarez lib. 2. cap. 14. num. 5. Tum quia Concilium loquitur de lumine gloriæ, iuxta modum loquendi Theologorum: omnes autem eo nomine lumen aliquod creatum intelligunt, ut videre est etiam apud S. Thomam hic a. 5. ubi de creato lumine quæstionem proposuit. Tum quia Concilium loquitur de lumine eleuante intellectum, quod Deus propriè & formaliter per seipsum non facit, sed quatenus in ipso intellectu aliquid operatur, supra naturam eius. Tum quia Beguardi non negabant, necessario interuenire Deum in visione beatifica, sed lumen creatum, quale à Theologis poni solebat.

Secunda pars non esse ipsam visionem à Deo infusam, est æque communis & certa; contra quosdam apud Capreolum relatos. Probatum, tum ex dictis: omnes enim Theologi distinxerunt lumen gloriæ à visione, ut notauit Vasquez d. 42. num. 1. neque vel Beguardi; nec quisquam sanæ mentis negare potuissent, visionem requiri ad videndum Deum: tum quia Concilium requirit lumen ad videndum; distinguit ergo lumen à visione.

Tertia pars, non esse concursus Dei actualis, est

contra quosdam apud Sotum in 4. d. 49. q. 2. a. 4. dicentes, per lumen gloriæ in Concilio generatim intelligi auxilium Dei supernaturale; siue sit actualis concursus; siue non. Quæ expositio placet etiam nonnullis recentioribus, teste Suarez cit. cap. 14. num. 7. Sed est falsa & improbabilis, vt rectè citatis tum ob dictas causas: *indubitatum enim est*, inquit, Vasquez cit. d. 42. *Scholasticum lumen gloriæ esse habitum quendam*, aut saltem qualitatem; quod ipsum etiam nomen luminis significat: tum quia Concilium distinctè damnat vtrunque; & quod visio eliciatur naturaliter; & quod non requiratur lumen gloriæ.

Quarta pars, non esse qualitatem per modum potentia; & intellectus naturalis, &c. est contra Sotum & Capreolum loco cit. & quosdam alios, qui dicebant, visionem beatificam effici à solo lumine gloriæ, non ab intellectu beati, vt dicitur dub. seq. & refert etiam Suarez cap. 10. num. 9. Sed est non solum noua, sed etiam falsa & improbabilis sententia: quia actio vitalis, saltem secundum ordinariam Dei legem, elici non potest, nisi à principio ac potentia vitali animæ; cuius ratio in hoc consistit, quod sit potentia naturalis, & necessario emanans ab anima, vt anima est. Plura dub. seq.

Quinta pars, non esse speciem intelligibilem, est contra Vasquez disp. 43. cap. 7. suppositis etiam ijs, quæ de hac re disserit disp. 38. & 39. Sed quæ sententia procul dubio non minus noua est, & improbabilis, vt rectè Suarez c. 14. num. 8. & cap. 15. num. 14. 15. 16. quamuis pro ea immeritò citentur S. Thomas, Richardus, & Argentina, vt dictum dub. 2. & paulo post magis patebit. Probatur. Tum quia ex communi & vera sententia, non datur species intelligibilis Dei, ex dub. 2. Tum quia species non datur ad confortandum intellectum, nec omnino se tenet ex parte potentia; sed obiectis quæcumque tandem in particulari sit eius vis & efficacia; de qua re actum eodem dub. 2. Tum quia alias fatendum esset, intellectum creatum ex sua parte esse sufficienter instructum ad eliciendam visionem; si modo ex parte obiecti debitus concursus non desit: perinde ac si præter speciem intelligibilem obiecti supernaturalis, non daretur habitus supernaturalis, aut auxilium eiusdem efficaciam supplens, v. g. ad credendum, amandum Deum, &c. Tum quia hac ratione Beguardi negantes lumen gloriæ, hoc est, speciem intelligibilem, vt Vasquez interpretatur, non fuissent damnandi; sed iuxta communem Theologorum sententiam laudandi: nisi quis dicat, damnatam à Concilio communem Theologorum sententiam, speciei impressæ vsu, in visione Dei denegantem; quod est absurdissimum. Plura dub. seq.

Sexta pars, esse qualitatem, colligitur ex probatione tertiæ & septimæ partis.

Septima pars autem, esse habitum, est communis itidem Doctorum sententia. Imo Ferrariensis 4. cont. gent. c. 54. Caietanus hic q. 12. a. 5. Capreolus in 4. d. 49. q. 4. a. 3. Argentina q. 2. a. 1. Gabriel suppl. q. 2. a. 3. & quidam alij putant, hoc esse desideratum, & in illa Clementina definitum. Sed verior est contraria, eademque communis recentiorum sententia; quam tradunt Molina a. 5. d. 1. Vasquez disp. 42. num. 3. Suarez lib. 2. cap. 14. num. 4. & 9. Gregorius de Valentia q. 12. p. 3. qui tamen ait, contrarium

esse valde temerarium, & probabiliter resisa contra fidem: quo sensu etiam Molina ait: *temerarium ac periculosum videri, post definitionem illam Ecclesia discedere à sententia D. Thoma: quæ merito, inquit, communis est hodie inter omnes Doctores*. Probatur tum ex nomine luminis gloriæ, quod qualitatem permanentem significat. Tum quia ad alios actus supernaturales dantur habitus proportionati. Tum quia id planè necessarium est, vt à potentia vitali, modo connaturali, efficiantur tales actus: præsertim si actus ipse naturæ suæ perpetuus, & non interruptus sit, vt est visio Dei.

Octaua pars, esse habitum intellectus, non aptè quidem habetur ex verbis Concilij; quia solum dicit, dari animæ; hancque à lumine gloriæ eleuari ad videndum Deum, & eo beatè fruendum. Vnde etiam Gabriel loco cit. & in 1. d. 2. q. 2. a. 3. & Cardinalis Zabarella in citatam Clementinam affirmant, eundem esse habitum luminis gloriæ, & Charitatis; sicut etiam existimant, esse eandem realiter facultatem intellectus & voluntatis. Sed est improbabilis sententia; & contra communem aliorum omnium Scholasticorum, vt rectè Vasquez cit. d. 42. num. 2. quia habitus debent esse proportionati actibus, ad quos dantur; & in eodem subiecto: cum ergo habitus iste detur immediatè ad videndum Deum, (ex consequenti verò etiam ad fruendum, iuxta citata Verba Concilij) fatendum est, esse habitum intellectus, adeoque distinctum à charitate.

Assertio IV. Secundum absolutam tamen potentiam Dei, potest esse visio absque habitu luminis gloriæ: Deo nimirum vel per solum actualem concursum, vel probabiliter etiam per aliam qualitatem, tam ab habitu luminis gloriæ, quam à visione distinctam, suppletente eius efficaciam siue defectum, Primam partem docent Paludanus in 4. d. 49. q. 1. a. 3. Argentina q. 2. art. 1. Maior q. 4. Gregorius de Valentia q. 12. p. 3. Molina a. 5. d. 1. Suarez lib. 2. de Deo cap. 16. Vasquez d. 46. cap. 2. & est communis recentiorum Thomistarum; nil etiam repugnante S. Thoma hic a. 5. & 2. q. 175. a. 3. ad 2. qui solum de potentia Dei ordinaria locutus est. Idem à potiori tradunt Scotus, Durandus & alij, qui docent, visione etiam à solo Deo productâ beatos videre posse Deum, vt dicitur dub. seq. tamen si circa præsentem assertionem oppositum sentiant Ferrariensis, Caietanus, Sotus locis cit. Probatur assertio quoad primam partem primò. Quia Deus seipso immediatè potest omnem concursum & efficientiam, saltem principij non vitalis, supplere, ex certa & communi: lumen autem gloriæ est principium quidem efficiens visionis, vt suppono ex dub. seq. attamen cum sit qualitas aduentitia, & supra naturam intellectus ac animæ, non est principium vitale visionis: Ergo eius concursus potest à Deo suppleri.

Secundò, Lumen gloriæ non est tota virtus & potentia, qua beati eliciunt visionem; sed ipse quoque intellectus seipso influit, vt dicitur dub. seq. & supponit S. Thomas hic a. 5. Ergo etiam sublato lumine gloriæ, adhuc poterit influere, modo defectus ipsius, tanquam partialis alterius causæ, aliunde suppleatur.

Tertio, Actus charitatis, & aliarum virtutum supernaturalium, possunt ab homine effici, Deo per

sum concursum immediatum supplem-  
tum concursum habitus; imo ex veriori, quam suppono, re ipsa  
ita efficiatur tunc, quando actus ipsi primum dis-  
ponunt ad habitus acquirendos; cum tamen actus  
illi non sint minus supernaturales, quoad substan-  
tiam, quam visio; vt habet itidem communis senten-  
tia; quicquid Sorus hoc argumento conuictus,  
eo tandem deuenerit, vt negaret, actus eiusmodi  
Theologicos esse supernaturales quoad substantiam.  
Neque verò propterea Deus denominabitur à tali  
visione videns; quia actiones immanentes non de-  
nominant efficiens, nisi in quo inhaerent, vt rectè  
Vasquez loc. cit.

Vnde probatur etiam secunda pars assertionis,  
suppleri nimirum luminis gloriae defectum posse per  
actualem concursum Dei; quæ ab omnibus quo-  
que pro præcedenti parte citatis asseritur, excepto  
Capreolo in 4. d. 49. q. 4 qui putat suppleri non  
posse solo eo concursu, absque alia qualitate saltem  
transiente eius loco substituta: sed quæ sententia v-  
trâque ratione præmissa efficaciter refellitur.

13 Tertia pars asseritur à Gregorio de Valentia, quam  
etiam supponunt Molina & Vasquez post Capreol-  
um loc. cit. Probatur. Quia nihil videtur obsta-  
re, quo minus detur qualitas supernaturalis transiens,  
per modum quasi actus secundi, quæ possit esse prin-  
cipium visionis: sicut quidem Molina hic, & multi  
alij existimant, etiam motiones vocantis gratiæ esse  
principia effectiua actuum supernaturalium, ad quos  
dantur: similemque aliquam qualitatem (quam etiam  
lumen gloriae vocant per modum actus trans-  
euntis communicatam) putant re ipsa quidam com-  
municatam S. Paulo in transiente illa visione Dei: id  
quod expressè etiam docet S. Thomas 2. 2. q. 175 a.  
3. ad 2. qui hanc ipsam etiam qualitatem vocat lum-  
men gloriae, vtique tamen ab habitu luminis gloriae  
essentialiter distinctam. Vnde minus probatur senten-  
tia Suarez loc. cit. num. 4. qui contra Capreolum  
disputat, non posse dari lumen, quantumuis transiens,  
specie distinctum ab habitu luminis gloriae; ac pro-  
inde eam Capreoli sententiam, aut coincidere cum  
sententia Caietani; aut esse minus probabilem: quod  
tamen ab eo non video firma aliqua ratione probari.

His addo, de quo tamen hoc loco nulla proprie  
est controuersia, posse quamlibet aliam rem assumi,  
quæ per modum instrumenti supernaturalis, sit  
cum intellectu creato principium visionis. Nul-  
la enim est hæc in re implicatio contradictionis: &  
quicquid Deus in subiecto potest per seipsum, pos-  
test etiam per instrumentum creatum, saltem iuxta  
potentiam eius obedientialem eleuatam, vt suo lo-  
co ex veriori docetur. Etsi quidem interim hoc casu  
intellectus vis & efficientia tali instrumento con-  
naturaliter non compleatur, nec ex illo & intellectu  
constitui possit totalis & completa ac principalis  
causa visionis; ac proinde nihilominus Deus suo pec-  
ciliari concursu vtriusque principij suæ in-  
strumenti inefficaciam & defe-

ctum supple de-  
beat.

#### DVBIVM IV.

*Utrum visio effectiue procedat ab  
intellectu beati: & quodnam in  
ea re sit proprium munus lumi-  
nis gloriae.*

S. Thom. 1. p. q. 12. a. 4. & 5.

T Ametsi quidem hæcenus explicatum ac defini-  
tum sit, habitum luminis gloriae necessarium esse  
se ad visionem: nondum tamen declaratum est, quif-  
nam sit in ea re proprius eius concursus, seu pro-  
prium munus: quod ipsum tamen definiiri etiam  
non potest, nisi prius constet, an visio effectiue ab  
intellectu creato beati procedat: quorum vtrumque  
proinde hac dubitatione exponendum est. Et verò  
quod attinet ad efficientiam intellectus creati, circa  
visionem, est prima sententia multorum & grauium  
Theologorum, qui docent, visionem à solo Deo pro-  
duci, intellectu beati solum materialiter & subiecti-  
ue ad eam concurrente, recipiendo visionem. Ita do-  
cent Nominales, nominatum Ockam in 1. d. 1. q. 2.  
& in 4. q. 13 a. 5. dub. 6. Gabriel in 3. d. 14 q. 1. Mar-  
silius in 3. q. 10. a. 2. Idem ferè sentiunt Richardus in  
3. d. 14 a. 2. q. 3. & 4. & in 4. d. 49. a. 3. q. 5. Scotus in  
4. d. 49. q. 11. & in 3. d. 14. q. 1. a. 2. Durandus ead. dist.  
q. 1. num. 9 & in 4. d. 49. q. 2. Paludanus ibid. q. 2.

Secunda sententia est quorundam Thomistarum,  
qui significant, visionem aut nullo modo immédia-  
te produci ab intellectu beati, sed à solo lumine glo-  
riae; in quibus Capreolus in 4. d. 49. q. 4. a. 3. & Sorus  
q. 2. a. 4. vbi intellectum præditum lumine gloriae re-  
spectu visionis comparat aquæ calidæ in ordine ad  
calefactionem; vel certè non totam eius rationem  
fieri ab intellectu beati, vt indicat idem Capreolus  
loc. cit. Fundamenta sunt. Tum quia actus adeo su-  
pernaturalis non potest physicè produci à potentia  
naturali. Tum quia visio producitur per creationem,  
vt aiunt. Tum quia non potest vero aliquo sensu dici,  
hominem seipsum beatificare, nec efficienter  
quidem; formaliter enim vel obiectiue id fieri non  
posse clarum est, & extra controuersiam.

2 Tertia sententia est, visionem ab intellectu beati ve-  
rè ac physicè produci, seu quod id est, effectiue pro-  
cedere. Authores inferius referemus: qui tamen rur-  
sum variant. Alij enim tribuunt eam efficientiam in-  
tellectui creato secundum suam virtutem natiuam,  
atq; iuncto simul lumine gloriae, etiam vt principio  
quo principali; alij solum secundum potentiam o-  
bedientialem, & vt instrumento Dei, seu luminis  
gloriae.

Eodem modo quod ad alteram dubitationis par-  
tem attinet, admodum variè à varijs Doctoribus ex-  
plicatur munus & causalitas seu concursus luminis  
gloriae circa visionem; prout nimirum variè ipsi sen-  
tiunt, vel de principio efficiente visionis ex dictis;  
vel de natura & ratione luminis gloriae, iuxta dicta  
dub. præcedent. vt in specie magis inferius declara-  
bitur.

Assertio I. Intellectus beati verè ac physicè pro-  
ducit visionem beatificam. Ita S. Thomas hic q. 12.

art. 5.